



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.6. Schismaticorum Resipiscentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

## §. VI.

Sæculum VI.  
A. C. 598.*Schismaticorum Resipiscentia.*

Episcopus Capritanæ Insulæ, quæ hodie Caorla dicitur, in Sinu Veneto sita, Istriæ Schismate implicitus, & cupiens cum populo suo ad Ecclesiam Romanam redire, in hunc finem Callinico Exarcho Libellum obtulit; obsistebat vero Justinus Schismaticus, cujus magna erat apud Exarchum Auctoritas. Is Justiniani consilio impulsus Papæ misit descriptum Exemplar Mandati Cæsarei, sub initium Pontificatus ejus editi, quo jubebatur Schismaticorum pacem non turbare. Igitur Episcopus perverti se passus, nolebat jam Ecclesiæ Romanæ conjungi, at populus in proposito constans Legatos ad Papam misit, qui alium sibi dari Episcopum peterent. Quamobrem S. Gregorius Callinico Exarcho scripsit in hunc modum: *Excellentiam tuam considerare oportuisset, in illo Mandato (ut taceam, quod subreptitie impetratum fuerit) non tibi præcipi, ut ad Ecclesiam redire volentes rejicias, sed tantum ne nolentes compellas.* Exarchum deinde rogat, ut Justinum, nisi Schisma abjiciat, a consiliorum suorum communicatione arceat. Simul Pontifex ad Marinianum Episcopum Ravennatensem dedit Epistolam, jubens eum, Episcopum

Sup. Lib. XXXV.

S. 13.

VII. ep. 9.

ind. 2.

VII. ep. 10.

Capri-



Sæculum VI. Capritanum exhortari, ut se Ecclesiæ  
 A. C. 599. Catholicæ & Populo suo jungat; Si re-  
 cuset, subdit S. Gregorius, *in illum lo-  
 cum Episcopum ordina, & Insulam illam  
 Ecclesiis tuæ Provinciæ accense, donec E-  
 piscopi Istriæ ad unitatem redierint.  
 Exarchum roga, ut hæc ad Imperatorem  
 perscribat. De his etiam ad Anatolium  
 scripsi.* Erat is Pontificis Nuncius in  
 Aula Constantinopolitana. Epistola ista  
 mense circiter Octobri anno 599. Indi-  
 ctione secunda scripta.

*Sup. Lib.  
 XXXV.  
 §. 48.*

Eadem Indictione circa mensem Ju-  
 nium anno 599. S. Gregorius data ad  
 VII. ep. 68. Anatolium Epistola jubet eum, quibus-  
 cunque posset modis, juvare viros, qui  
 Schisma Istriæ relinquendi animo Con-  
 VII. ep. 94. stantinopolim profecti fuerant. Scripsit  
 95. 96. præterea ad quosdam viros potentes,  
 atque inter alios ad Gulsarum Longo-  
 Paul. VI. bardum & Ducem Tarvisinum, qui pro  
 hist. zelo movente Schismaticos ad Ecclesiam  
 reducere satagebant. Scripsit item ad  
 Romanum Ecclesiæ Romanæ in Sicilia  
 Defensorem, exhortans, ut quibusdam  
 VII. ep. 97. Istris Episcopum suum ad Ecclesiam re-  
 dire cupientem adituris subsidia neces-  
 saria suppeditaret, & in omnibus ipsum  
 Episcopum adjuvaret, imo & impensas  
 in se susciperet, si ille iter usque Romam  
 aggredi pararet. Cum Istrorum aliqui  
 Romam venissent, ibique Schisma abje-  
 cissent,



cissent, Papa illos dimittens dedit Epi-  
 stolas commendatitias ad Callinicum  
 Exarchum & Marinianum Episcopum Ra-  
 vennatensem directas monens, ut cave-  
 rent, ne ob suam Conversionem male  
 haberentur, sed alii videntes, conversos  
 potentium virorum Patrocinio tutos esse,  
 pariter ad abjurandum Schisma invita-  
 rentur. Duobus antea annis factum le-  
 gimus, S. Gregorium cuidam nomine  
 Joanni, qui Schismati Istrorum renuncia-  
 verat, pensionem annuam concessisse.

Cum Constantius Episcopus Medio-  
 lanensis Clericos Comenses hortaretur,  
 ut ad Ecclesiam redirent, responderunt,  
 se tam male a Catholicis haberi, ut  
 prorsus nullum desiderium subire posset,  
 se ipsorum Ecclesiae jungendi; *Multi  
 Catholici, inquebant, Bona nostra inju-  
 ste retinent, & Romana etiam Ecclesia  
 agros nostros invasit.* S. Gregorius rem  
 hanc a Constantio per litteras edoctus  
 respondit: *Si Dominium fundi illius ad  
 ipsos pertinet, volumus, ut ipsis restitua-  
 tur, etiamsi ad unitatem Ecclesiae non re-  
 deant; & si redeant, eundem ipsis dono  
 damus, etiamsi illum nullo jure repo-  
 scere possent, ut omnem hominibus his  
 prætexitum in Schismate perseverandi  
 auferamus.*